



# The Holy See

---

IOANNES PP. XXIII

EPISTULA APOSTOLICA

*OECUMENICUM CONCILIUM*

VENERABILES FRATRES  
PATRIARCHAS, PRIMATES,  
ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS  
ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS,  
PACEM ET COMMUNIONEM  
CUM APOSTOLICA SEDE HABENLES:  
DE MARIALI ROSARIO PRO FELICI EXITU  
CONCILII OECUMENICI VATICANI II RECITANDO.

*Venerabiles fratres,  
salutem et apostolicam benedictionem*

Oecumenicum Concilium quo propinquius accedit, eo instantius ad illud digne celebrandum christifidelium animi incitantur.

Hanc ob rem postremis hisce mensibus, praesertim postquam Litteras « [Humanae salutis](#) » edidimus, crebra prodierunt acta, quae animi Nostri sensa aperiebant, eoque spectabant, ut ea, quae ad praegrave hoc eventum pertinerent, sancte et religiose pararentur. Quae quidem acta altera sollemnis, altera familiaris indolis, perquam sane cognita sunt, atque, ut Nobis relatum est, a catholicis flagranti studio, a ceteris autem mente officiosa sunt excepta.

Pontificio magisterio Nostro idem semper spiritus afflat: monendo scilicet hortandoque contendimus, ut mentes supernae gratiae pateant, itemque ut usus et agitatio vitae lumine veritatis aeternae collustrentur, Iesu Christi praeceptis diligenter et alacriter ad effectum adductis.

Paschate Resurrectionis accedente, Venerabilibus Fratribus et dilectis Filiis, qui in supremum Consilium parandae Oecumenicae Synodo praepositum adlecti sunt — Cardinales, dicimus, Episcopos, Praelatos, religiosos sodales, qui universum orbem terrarum omnesque populos praesentia sua quodammodo referunt — auream tradidimus rosam, quae fragranti veluti omine significaret ornamentum et decus virtutis et pulchritudinis, quibus oportet christianos mores exornari: *Hoc est omen, aurea illa Innocentii III Decessoris Nostri rosa bene significatum, quae caritate rutilat, omniumque christianarum virtutum fragrantia suaviter redolet. Quod omnibus animum addat opus est, ad praestantissimam sanctitudinis formam in exemplum colendam* (1).

Quemadmodum praeterito tempore iterum iterumque nuntiavimus, ita nunc sollicita fiducia universum catholicum orbem, immo vero omnes homines bona voluntate rectoque iudicio praeditos, compellamus, Mariae, Rosae Mysticae, nomine invocato: Mariae, dicimus, matris Iesu et nostrae, deprecatione postulata, dulci pioque oculorum obtutu implorato. Omnes ad impensiores preces fundendas hortamur, ut christiana vitae studium latius refervescat, itemque ut sanctimoniae stabiliora firmentur proposita; sicut Oecumenicum Concilium poscit atque suadet.

Ecce mensis Maius arridet. Ad praestanda Deiparae Virgini Mariae venerationis specimina singulari amore sponte christifidelium animi conspirant atque contendunt. Religiosi ritus precationesque, quae in sacris aedibus habentur catholici orbis, a celeberrimis templis Mariae Virgini dicatis usque ad aedes sacras montanorum oppidulorum, a sacellis terrarum ubi Missionalium labor consudat ad domesticos ipsos christianorum parietes, palam testantur, sanctissimam Virginem efficaciter omnes ad se attrahere et sibi devincire filios suos.

Flagrantissimis igitur optamus votis, ut christifideles omnes hunc mens em transigant, intima cum Maria Virgine consuetudine et veluti colloquio coniuncti, eique quasi se comites adiungant in via, quae ad montem perducit, e quo Christus in caelum conscendit. Revera, hoc volvente anno, marialis mens is magno Ascensionis festo concluditur, quod quidem inde ab antiquissimis temporibus Ecclesia cum in Oriente, tum in Occidente, singulari sollemnitate celebrare consuevit; nec sine suavi solacio animum componimus ad commemoranda postrema verba, et ad suprema excipienda mandata, quae Christus Iesus ad Patrem reversurus nobis locutus est, una cum Beatissima eius Matre sanctisque Apostolis, animorum coniunctionem quasi renovando, quae in Cenaculo facta est, cum *omnes erant perseverantes. unanimiter in oratione cum ... Maria matre Iesu* (2).

Probe animadvertendum est, adhortationem hanc Nostram, ut marialis mensis pie fructuoseque celebretur, ad sacerdotes, uti patet, in primis pertinere; quorum quid em erit, non solum de ea christifideles certiores facere, verum etiam ita eandem proponere atque illustrare, ut ipsi preces supplicationesque suas ad felicem Concilii Oecumenici exitum convertere velint; ut scilicet grande huiusmodi eventum veluti nova Pentecostes evadat, ac rursus Spiritus Sanctus prodigiali modo in Ecclesiam caelestium donorum copiam effundat.

Quam ad rem tres proponere placet sententias, quae et sacerdotibus ad Dei verbum nuntiandum argumentum suppeditent, et christifidelibus ardentiore praeditis pie tate materiam praebeant ad caelestia meditanda, et novam iis omnibus afferant lucem, qui a celebrando Concilio abesse nolint. Atque a postremis Iesu Christi verbis et rebus gestis initium capimus, quae in sacro Libro, cui index *Actus Apostolorum*, leguntur: *usque in diem, qua praecipiens apostolis per Spiritum Sanctum, quos elegit, assumptus est: qui bus et praebuit seipsum vivum ... per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei. Et convescens praecepit eis ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum: quia ... baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies ... Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos* (3).

## I.

Primum Christus Iesus quadraginta dierum spatio se Apostolis conspiciendum dedit, ut ipsorum animos praesenti a sua confirmaret: tunc ille *praebuit seipsum vivum*.

Sed etiam post eius ascensum in caelum, ubi ad dexteram Patris sedet, nobis seipsum vivum praebere pergit; nam una nobis cum permanet, quemadmodum ipse pollicitus est: *Ecce ego vobiscum sum omnibus die bus usque ad consummationem saeculi* (4). Re quidem vera Redemptor noster nunc etiam praesens adest Ecclesiae suae, quae divini Conditoris opus exsequitur, ac per terrarum orbem propagat; praesens adest praeterea humanis eventibus, qui ad ipsum tamquam ad finem referuntur, atque, ipsis insciis hominibus, ad perficiendum ipsius Redemptionis et salutis opus conducunt; praesens adest denique singulis hominum animis, quos caelestis gratiae lumine divinaque Eucharistiae alimonia confirmat.

Quam quidem praesenti am luculentissime testabitur Oecumenicum Concilium proxime celebrandum. Etenim labores omnes suscipiendi, quibus Ecclesiae structura ad nostrorum temporum rationem aptabitur, itemque variae leges, quae vel condendae vel renovandae sunt in proximis sessionibus, eo unice spectabunt, ut scilicet homines Christum magis magisque noscant ac diligant, eumque generosiore usque animo imitentur.

Cum *oporteat illum regnare* (5), ad illum, vel in tenuissimis vitae muneribus, unice contendamus; cum illo uno vitae foveamus consuetudinem, quoniam Ipse *verba vitae aeternae* (6) habet. Ad id potissimum spectat sive celebrandum Concilium, sive praesertim virtutum morumque instauratio, quae Deo opitulante Concilium consequetur. Unusquisque ergo integra fide, quae actu vitae solidetur, in Divinum Redemptorem iam nunc magis magis que credat, eius doctrinae sincero animo penitus adhaereat, atque eum praesentem esse laetissima persuasionem persentiat.

## II.

Diebus deinde, quibus Christus Iesus his in terris versatus est, antequam in caelum conscenderet,

cum Apostolis suis collocutus est, ut sacrae Litterae docent: *loquens de regno Dei* (7). Ad id profecto divinitus venit, ut in omnium animis regnum constabiliret Patris, idemque per redemptorum hominum familiam propagaret, iis etiam rationibus adhibitis, quae exterius conspici possent. Ut plane tamen patet, huiusmodi regnum in primis ad spiritualium rerum excellentiam spectat, quae caelestem beatitatem et praeparant et pollicentur; etenim Christi regnum, quamquam hic in terris initium sumpsit, de hoc mundo tamen non est, ut ipse ait: regnum meum non est hinc (8).

Hac una ratione — cum scilicet caelorum regnum magni existimatur — hominis quoque condicio atque necessitates non ex una tantum parte, sed penitus intelleguntur, cum is immortalis animo praeditus sit, qui post terrena discrimina ad aeternam vitam adipiscendam se parat. At gravissima munera exinde proficiscuntur, quae sive ad singulares homines, sive ad universam hominum societatem pertinent. Nam in huius vitae communitate nullo modo fas est caduca et mortalia bona veritatem, iustitiam aequitatemque evertere. Caelorum enim serena lux veluti opprimitur, sive Deum esse negando, sive homines, quos omnes habemus fratres, quoquo modo interimendo, vel eorum nativa iura contemnendo, quae ab ipsis abalienari nequeunt, utpote quae oriuntur ex ipsorum natura, libertate fruente, atque e christianae vitae munere et dignitate.

Ut igitur Oecumenicum Concilium recta conscientia expectetur, necesse omnino est, omnes maiore usque contentione privatam socialemque iustitiam colant, flagrantiore usque sollicitudine caritatem provehant, seque suasque res in commune bonum alacres impendant, ut aequior vitae temperatio et ordinatio, in familiarum, civitatum nationumque inter se necessitudinibus, continenter proficiat ad totius humani generis utilitatem aptius provehendam.

### III.

Divinus Redemptor promisit denique se caeleste donum, Paraclitum scilicet Spiritum, e Patris sinu missurum esse, cum dixit: *accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos* (9).

Virtus ista divina, quam Spiritus Dei in hominum pectora infundit, magnum est spei argumentum, magnus vigor, unum humanae vitae verum praesidium: gratiam dicimus, quae sanctos nos facit, quamque innumerae gratiae, quae sunt in effectum, et antecedunt et comitantur. Hoc profecto maximi est momenti ac ponderis: ut scilicet christianorum hominum animi, re et veritate renascentes, intus renoventur. Quod si plane deficiat, Oecumenicum Concilium expectatis carebit fructibus: quapropter facile intellegitur quam necesse sit, christifideles impensiores preces Deo admoveant, ac per frequentem sacramentorum usum ingenia, mores, vitam denique totam penitus informant, eaque ad superna bona dirigant atque convertant, ita ut mentem ac voluntatem, opiniones ac proposita, immo vero varias humanae sollertiae consuetudines imbuant, nempe humanitatis cultum, ministeria, nobiles fabrilesque artes.

Haec nimirum illa est christiana iudicandi ratio, qua terrenae res aequissime existimantur,

quamque Decessor Noster S. Gregorius Magnus his verbis apte contraxit: *caelestem patriam desiderare; carnis desideria conteri; mundi gloriam declinare; aliena non appetere; propria largiri*: quae verba dilectissimis filiis e Nostra Romana dioecesi meditanda nuper proposuimus (10), qui Nobis, utpote beati Petri, Apostolorum principis, successoribus, in primis concrediti sunt.

Ut autem huiusmodi proposita ad effectum adducantur, Spiritus Sancti virtute opus est, qua omnium animi imbuantur, ut caelesti instinctui fideliter respondeant: quodsi omnes, quotquot habemus dilectissimos filios, flagranti hac voluntate praecellere studuerint, dubium plane non est, quin celebrandum Concilium nova sit ac mira reflorescentis gratiae renovatio, quam praesagum Nostrum pectus exspectat.

Venerabiles Fratres et dilecti Filii, mens is maius opportunam nobis praebet occasionem huius impensae atque firmae animorum nostrorum praeparationis ineundae. Quam ob rem, unanimam consiliorum precumque coniunctionem redintegrantes, quae circa Mariam, Matrem Iesu, in cenaculo facta est, mens em hunc singulari caritate traducamus, diversis susceptis consuetudinibus, quas sui cuiusque populi pietas attulit: *ac mariale Rosarium pulcherrimum sit suavisque florum fasciculus inter alternas laetitiae et maeroris vices, quae in hominum vita continenter conectuntur, dum dulcissimam caelestem Matrem recogitamus atque imploramus* (11).

Haec autem Marialis Rosarii pietas propria esse videtur sacerdotum, quibus ad imitandum exemplum proponimus sancti Iohannis Baptistae Vianney, curionis Arsensis, quem commoto animo contemplari iuvat, religione summa globulos illius coronae manibus volventem. Utinam exinde sacerdotes incitamentum sumant ad sanctimoniam assequendam suo munere dignam; quod quidem munus Deus nobis commisit, ut animorum salutem quaeramus.

Sit igitur Mariale Rosarium placidum veluti pectoris suspirium: sacerdotum praesertim, Nobis tantopere dilectorum, atque sacrarum virginum, quae perfectae castitatis vinculo atque insomnis caritatis operibus Deo se devoverunt, una cum christianis familiis, quibus lex divina veluti caput est cogitationum atque affectuum; puerorum manus coniungat atque aegrorum annectat, cotidianos parentum labores corroboret, fragrans sit odor egregiae pietatis, quae instanti Oecumenico Concilio caelestis Matris lectissimas impetret gratias.

Dum suavem animo concipimus spem, fore ut hae Nostrae adhortationes impensam meditationem atque sollertem operis diligentiam omnibus suadeant, vobis, Venerabiles Fratres, singulisque sacerdotibus et fidelibus vigilantiae vestrae commissis, Apostolicam Benedictionem, supernorum bonorum conciliatricem, peramanter impertimus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXVIII mensis Aprilis anno MDCCCCLXII, Pontificatus Nostri quarto.*

(1) Cfr. AAS. LIV (1962), p. 222.

(2) *Act.* 1, 14.

(3) *Act.* 1, 2-5, 8.

(4) *Matth.* 28, 20.

(5) *1 Cor.* 15, 25.

(6) *Io.* 6, 69.

(7) *Act.* 1, 3.

(8) *Io.* 18, 36.

(9) *Act.* 1, 8.

(10) Cfr. AAS. LIV (1962), p. 278 (hoc ipso libello)